



**Tractatus Juridicus Ad Librum III. Decretalium Gregorii IX.  
Clericorum in communi, nec non Prælatorum, ac  
Capitulorum in specie obligationes, & jura complectens**

**Scharz, Oddo**

**Salisburgi, 1738**

§. III. Quinam possint, aut debeant institui? Et quis institutionis effectus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63800](#)

tum casu subjicit, quo audire volunt  
secularium confessiones, ergo quoad  
**Confessiones Regularium** huic legi non  
subjacent, sed sicut quoad reliqua Sa-  
cra menta, ita etiam quoad Sacramen-  
tum Pœnitentiaæ administrandum ab  
unius Prælati sui jurisdictione depen-  
dent, qui authoritatè sibi à SS. PP. con-  
cessa vel per seipsum, vel per alios à se  
deputatos regulares suos absolvere va-  
let. Accedit declaratio Cardin. ad d.  
cap. 15. Trid. n. 3. Clericat. de Sacram.  
Pœnit. Decis. 39. n. 1.

**10** Institutio corporalis, sive investitu-  
ra, & introductio in possessionem Be-  
neficii.

nesficii competit de jure comuni Archi-  
Diacono per cap. 7. de Offic. Archi-Diac.  
quamvis in cap. 28. de Præbend. in 6. di-  
catur ad Episcopum pertinere, id enim  
commode intelligi potest, pro decreto,  
quo hanc institutionem, sive installa-  
tionem per alium fieri mandat. Ho-  
die Episcopi plerumque Commissarios,  
etiamsi illi Archi-Diaconi non sint,  
deputare solent, qui præsentatos in-  
possessionem beneficii sui introducant,  
& installent. P. Reiffenstuel b.t. n. 44.  
qui etiam à num. 46. ritus institutionis  
corporalis, in beneficiis, sive investiture  
explicat.

### §. III.

*Quinam possint, aut debeant institui? Et quis institutionis  
effectus.*

#### S U M M A R I A.

**11.** Requisita ex parte instituendi recensentur. **12.** Seipsum, habens jus instituen-  
di, præsentare, & instituere nequit. **13.** Solvuntur due oppositiones. **14.** In  
institutione, sicut in collatione habenda major ratio indigenæ, quam alienige-  
næ. **15.** Per institutionem acquirit institutus jus in re in beneficio. **16.** An-  
cadat suo jure, si institutus propria authoritate possessionem beneficii capiat,  
sub distinctione resolvitur. **17.** Effectus ex parte instituentis genuinus pandi-  
tur.

**11** **U**T quis institutionis passivæ sit ca-  
pax, sequentia desiderantur. I.  
Ut sit Clericus, Laici enim ad ob-  
tinenda beneficia capaces non existunt.  
cap. 2. b.t. cap. 17. de Rescriptis. Et ideo  
institutio illa citra specialem dispensa-  
tionem Sedis Apostolicæ non teneret,  
quæ facta est de Laico, tametsi is post  
factam institutionem mox Ordines re-  
ciperet, quia habilitas instituendi præ-  
cedere debet institutionem arg. cap. 6.  
de Transact. P. König b.t. n. 7. Aliud

est, si Clericus præsentetur ad Benefi-  
cium, ante receptum certum ordinem,  
quem ipsius Beneficii qualitas requirit,  
sufficit enim, ut is alias sit idoneus, &  
infra tempus à jure definitum illum  
Ordinem recipiat. Clem. 2. de ætat. &  
qualit. P. König loc. cit. II. Requiri-  
tur, ut à Patrono intra tempus legitimi-  
num præsentetur. Est autem pro præ-  
sentatione facienda tempus 4. Mensum  
Patrono Laico, semestre vero Patrono  
Ecclesiastico præfinitum, quod tempus

à die cognitæ vacationis, primum currere incipit. cap. 3. 10. & 27. de Jur. Patron. cap. un. §. verum eod. in 6. III. Præsentatus sit instructus iis qualitatibus, quæ ad beneficium condigne administrandum necessariae sunt, quibus, si careat, ab Episcopo repellitur, & aliis, ab Ordinario in ejus locum sufficitur, qui à patrono laico iteratò fuerit præsentatus (patronis enim laicis plures simul, aut successivè, re adhuc integra, præsentare licet. cap. 24. & 29. de J. P.) patronus Ecclesiasticus hoc jure variandi non gaudet. Quodsi plures præsententur ad beneficium, is, cui jus instituendi competit, digniorem assumere necesse habet. cap. 3. b.t. Concil. Trid. Sess. 24. de Reform. cap. 18. Eò tamen casu dignum præ digniori assumere tenetur, quo inter præsentantes dignior à minore, dignus verò à majori parte præsentatur. cap. 3. de Jur. patron. Ratio est, quod regulariter in negotiis Universitatis, quæ à majori parte gesta sunt, subsistant. arg. cap. 1. de his, quæ sunt à major. part. Capit. Num verò necessè sit, ut conveniat major pars, habito respectu ad omnes patronos, an sufficiat major pars, habita comparatione ad minorem? E. G. sunt quatuor patroni, duo præsentant *Titum*, tertius *Sempronium*, quartus *Ca-jum*. Præsentatus à duobus non habet vota absolute majora, sed tantum respectivè majora, habito respectu ad alios præsentatores. Panormit. ad cit. cap. Sic resolvit: Aut præsentatio fit ab ipsis quatuor patronis tanquam à collegio, & tunc requiritur majoritas votorum absolute, hoc est, respectu totius collegii. cap. 1. de Elect. Aut isti patroni præsentant ut singulares, ut

communiter faciunt Laici, quibus jus Patronatus patrimoniale est, & tunc sufficit major pars votorum respectiva, hoc est, respectu aliorum patronorum singularium, ut cit. cap. 3. de J. P. cum Panormitano intelligit Vivianus *ibid.*

Quæres: An patronus Clericus habens alioquin jus instituendi, seipsum præsentare, & instituere possit? Resp. negativè: Textus in cap. ult. b. t. & cap. 26. de J. P. Ratio itidem datur, quod inter dantem, & accipientem debit intercedere distinctio personalis, & ne patronus seipsum instituere volens, de ambitu se reum, & hoc ipso indignum beneficio faciat. Nam, ut ait Gregorius Papa in cap. 9. C. 8. Q. 1. *Sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus.* Et idè nec delegatus Prælati, cui jus conferendi beneficium, aut instituendi competit, poterit conferre beneficium, aut instituere delegantem, quia delegatus non tam suo, quam delegantis nomine agit, l. 1. ff. de Offic. ejus, cui mandat, & sic in effectu ipse delegans sibi met beneficium conferre censeretur, ac in facto proprio sibi autoritatem præstaret, contra l. 1. ff. de Auth. Tutor. Duos tamen casus excipit Panormitanus ad cit. cap. fin. b. t. in 6. I. Si talis collator absolute transferat potestatem instituendi in alium, eamque penitus à se abdicet, tunc enim, quia novus collator proprio nomine confert, poterit ab ipso beneficium recipere. II. Si talis Prælatus, cui alias jus conferendi, vel instituendi competit, beneficium reciperet à S. Pontifice, non ejus legato à latere, tunc enim, quia & Pontifex, & legatus de jure communi cum quolibet collatore concurrunt, & jure

or-



ordinario conferunt, inter dantem, & accipientem intercederet distinctio personalis, adeoque collatio, aut Institu-  
tio jure subsisteret. P. Reiffenstuel h.t.  
num. 89.

<sup>13</sup> Quæ contra hoc assertum solent op-  
poni, est I. instantia à jurisdictione  
voluntaria, quam quis in seipsum exer-  
cere non prohibetur. II. S. Pontifex  
dat jurisdictionem, & potestatem suo  
confessario, eundem absolvendi à pec-  
catis: ergo à fortiori poterit aliquis  
Prælatus dare alteri potestatem conse-  
rendi beneficium sibi, aut se instituen-  
di. Respondeo ad instantiam à juris-  
dictione voluntaria petitam, illam ad  
casum nostrum ex eo non posse appli-  
cari, quod in Institutione sui ipsius in  
beneficio specialis turpitudo versetur,  
scilicet, vitium ambitus, ob quod quis  
se usque adeò indignum reddit benefi-  
cio, ut ne ab alio quidem institui pos-  
sit, arg. cap. 9. C. 8. Q. 1. tantum ab-  
est, ut seipsum instituere valeat, quia,  
ut ait Pontifex in cap. 28. de Jur. patr.  
*Nullus se ingerere debet Ecclesiastice Præ-  
lationis officio.* Ad alterum dico, quod  
Confessarius absolvens Pontificem non  
procedat ut delegatus Pontificis, ejus  
jurisdictione utens, sed utitur jurisdictione  
sibi à DEO in sacra ordinatione  
collata cap. 1. de SS. Trinit. ita, ut, si  
Pontifex se ultrò, & sponte subjicit  
Confessario, ejus radicalis potestas,  
quam Sacerdos in sua ordinatione acce-  
pit absolvendi in foro interno à pecca-  
tis, actuatur, & sic non utitur jurisdictione  
delegata in delegantem, quod  
contra fieret, si Prælatus daret alteri  
jurisdictionem, & facultatem sibi con-  
ferendi beneficium, vel se instituendi,  
quod enim quis per alium facit, per

seipsum facere censemur. cap. 71. de R.  
J. in 6. Panorm. ad cap. ult. h.t. n. ult.  
P. Verani h.t. g. 3. num. 19. § seq.

Circa instituendos id porrò notan-<sup>14</sup>  
dum est, quod indigenæ alienigenæ  
præponendus sit, quia in cap. ult. de  
Cleric. peregrin. prohibentur Prælati in  
suis Ecclesiis absque consensu Episcopi  
Clericos de alienis Diœcesibus, & Epi-  
scopatibus instituere. Hujus prohibi-  
tionis non una ratio reddi potest. I.  
Præsumuntur indigenæ magis diligere  
oves, quam extranei. II. Propter idio-  
matis diversitatem, ut enim populus  
pastoris sui idioma intelligat, summè  
necessarium est. Ex hac ipsa causa S.  
Augustinus coadjutor datus fuit, ut su-  
præ notavimus. III. Præsumuntur indigenæ  
præ alienigenis majorem patriæ,  
& residentiæ habere amorem. IV.  
Quod non deceat, ut alienigenæ alieno-  
rum laborum fructibus gaudeant, id  
quod fieret, si decimas, & stipendia  
ex bonis ab alienis parentibus quæsitis  
perciperent, & consumerent. V. Quod  
publica utilitas certius promoveatur per  
indigenas, quia in exteris facilius time-  
tur proditionis periculum. Sic irati  
DEI signum est regi ab extero. Deut. 22.  
*Advena, qui tecum versatur in terra,  
ascendet super te, eritque sublimior; tu  
autem descendes, & eris inferior: ipse  
fœnerabitur tibi, & tu fœneraberis ei:  
ipse in caput, tu eris in caudam.*

Institutio alium effectum operatur<sup>15</sup>  
ex parte instituti, alium ex parte institu-  
tentis. Ex parte instituti operatur In-  
stitutio collativa jus in re, seu jus per-  
fectum in beneficio, etiam ante appre-  
hensionem, sive traditionem possesso-  
nis. arg. cap. 4. de Præbend. in 6. Mo-  
dò tamen beneficium acceptaverit, vel  
per

per se cap. 17. de Præbend. in 6. vel per alium. cap. 24. de Præbend. tametsi is Laicus fuerit. Arg. cap. 1. §. 1. de Procurat. in 6. ubi Laicus admittitur ad agendum, & defendendum in causis spiritualibus. Quamvis tutius, & convenientius sit, ut absens Clericus per Clericum institutionem acceptet. Panormit. ad cit. cap. n. 5. Per institutionem, sive investituram realem acquirit institutus veram, & actualem ipsius Beneficii possessionem, ut jam suprà dictum est.

<sup>16</sup> Hic jam queritur: An, si præsentatus post institutionem *Tituli* collativam propria autoritate possessionem Beneficii capiat, is suo jure per institutionem quæsito cadat? Respondeo cum Covarruv. V. R. lib. 3. cap. 16. num. 7.

& Garzia part. 4. cap. 2. n. 4. sub distinctione: aut vacuam ingreditur possessionem, aut alium possessorem violenter expellit. Hoc casu omne jus amittit. cap. 18. de Præbend. in 6. priori non item, quia id nullibi expressum reperitur, poterit tamen arbitrariè puniri, tametsi verus possessor efficiatur. Ex parte Instituentis institutio hos <sup>17</sup> operatur effectus I. tenetur præsensato, si præmisso examine idoneus repe riatur, & proposito citationis edicto nullus contradictor appareat, conferre *Titulum*, sive *jus in re* ad Beneficium Patronatum arg. cap. 14. de *Jur. Patron.* II. tenetur præsentatum collato semel *Titulo* invertire, seu in possessionem Beneficii corporaliter introducere. Vid. P. Reiffenstuel h. t. n. 46. & seqq.

## TITULUS VIII.

### *De Concessione Præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis.*

**D**upliciter in Concessione Præbendæ, vel collatione Beneficii errari potest: vel tardè nimis illud conferendo, non observato videlicet termino Concilii Lateranensis, trimestri, aut semestri, per ea, quæ traduntur in *Tit. de supplend. neglig. Prælat.* vel nimis mature, & præproperè, antequam scilicet vacaverit. Quid de utroque præpostero hoc providendi modo jure cautum sit, in præsenti *Titulo* exponitur.



B b

§. I.